

comprehendere intentionis nostræ non fuit : imo in eis et qualibet earum , prout potestatem et auctoritatem ac jurisdictionem nostram intelleximus , et volumus nobis reservatam fuisse , dicta Constitutione non obstante ; sic etiam et nunc facultates et jurisdictiones nostras prædictas instituendi , et destituendi , & alia faciendi , omnimode nobis reservatas esse declaramus , et ad Nos successoresque nostros spectare et pertinere expresse sancimus .

In omnibus autem aliis Ecclesiis eisdem juribus , auctoritatibus , facultatibus et consuetudinibus ac observantiis uti intendentes , quibus omnes nostri Prædecessores usi fuerunt , a quorum moribus , consuetudinibus et observantiis recedere non volumus , imo in quantum possumus ea omnia imitari ut debemus , omne id et totum , quod contra vel ultra jus , consuetudines et observantias prædictorum , indultaque et concessionis in dicta Constitutione per nos decretum atque factum esset , vel appareret , vel ab aliis interpretaretur , tamquam ex se nullum , et contra mentem nostram sancitum cassamus , et annullamus , et pro nullo , casso , nulliusque valoris esse decernimus et declaramus ; decernentes ex nunc irritum et inane si secus imposterum a quoquam aliquid contra hanc nostram interpretationem et declarationem forsitan attemptatum fuerit : mandantes ipsam in Archivio Cancellariæ nostræ ad perpetuam memoriam registrari , et omnibus Capitulis Ecclesiarum prædictarum intimari .

Datum et actum Venetiis , in Pat.^{li} Palatio nostro , currente anno Dominica natiuitatis 1519 , die vero 29 mensis Septembris .

Dell' elezioni a Pievi e Titoli altrove diremo: può